

4299 K. 161
IIa C 2319 2182
BERNARDI VAPOVII

DE BELLO

A SIGISMUNDO I REGE POLONIAE

CONTRA MOSCOS GESTO

A. MDVIII.

EDIDIT


IOSEPH KORZENIOWSKI.



CRACOVIAE.

SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVENSIS.

1891.



2182

BERNARDI VAPOVII

DE BELLO

A SIGISMUNDO I REGE POLONIAE

CONTRA MOSCOS GESTO

A. MDVIII.



EDIDIT

IOSEPH KORZENIOWSKI.

TOwarzystwo
BIBLIOTEKI POLSKIEJ
WE WROSLAWIE

4299
48a



CRACOVIAE.

SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVIENSIS.

1891.

Ex Scriptor. rer. Polon. vol. XV.

B2 57036
643095 III

C-2347



2044-C 3-09

TYPIS LAD. L. ANCZYC ET SOCIORUM,
Provisore Ioanne Gadowski.

BERNARDI VAPOVII
DE BELLO
A SIGISMUNDO I REGE POLONIAE
CONTRA MOSCOS GESTO.

In libro Vaticano, qui inter codices Vat. lat. N. 3436 designatur, casu quodam peropportuno ignotum usque ad nostra tempora Bernardi Vapovii¹, clari illius rerum gestarum Poloniae scriptoris, opusculum invenimus de bello, quod a. 1508 Sigismundus I Poloniae Rex contra Moscos gessit. Quem librum nunc publici iuris faciendum esse duximus hac spe innisi, gratum id fore viris doctis, cum ob summam operum Vapovii raritatem, tum hac de causa, quod ex eo ad illustrandam auctoris vitam et personam quaedam redundabunt, iis quidem, quae in magno Chronicorum opere continentur non comparanda, minime tamen spernenda.

De ipsius libri ratione haud multum nobis disserendum est. Prius autem de codice illo Vaticano, ex quo [fol. 62—69^b] Vapovii opusculum desumpsimus, necesse est aliquid praemoneamus. Codex hic chartaceus est, forma, quae in folio dicitur, saec. XV et XVI variis manibus scriptus; varii quidem generis res continet, ex quibus exempli gratia titulos aliquot proferam: «Antonii² Civis Patavini Summa artis Rythmicae», excerpta ex Meletii opere «De structura hominis», orationes latinas Petri Alcyonii, «De mirabilibus civitatis Putheolorum» libellum, Iacobi cardinalis Sadoleti litteras, indicem bibliothecae Pici principis Mirandulae, alia XVI saeculi minoris momenti. Ad bibliothecam Vaticanam codex hic delatus est una cum

¹ Haec nominis Bernardi Wapowski forma latina apud nos plurimum utitur.

² Antonii da Tempo opus, italica lingua conscriptum, anno 1332.

libris Fulvii Ursini¹, quos in bonae frugis pleno volumine Petrus de Nolhac, vir doctissimus, accurate descripsit. Codicem nostrum, priusquam in manus perveniret Fulvii Ursini, partem fecisse collectionis Angeli Colocci hic legimus², «poetae et splendidi virorum doctorum patroni»³, in cuius hortis suburbanis socios Academiae, antequam invasione Francogallorum a. 1527 facta dissiparetur, saepius esse congressos non ignotum est⁴. Quas res ideo proferendas esse censuimus, quod hic Vapovii libellus apud nos non solum nusquam emerit, sed prorsus ignotus esse videtur. Exemplar nostrum chi-rographum Vapovii esse videtur — quod quidem tantum coniectura divinare licet, cum Vapovianae manus characteres sint ignoti — eadem tamen manu, qua totus liber conscriptus est, in ipsa calce addita sunt haec:

Bernardus Vapouicius	de Rado
Canonicus Cracouiē	chonycze

De ipso Bernardo Vapovio, libri huius auctore, cum satis iam viri doctissimi Ioseph Szujski⁵ et Stanislaus Lukas⁶ disseruissent, plura narrare supervacaneum arbitratus, ad illorum virorum volumina revolvenda lectorem remittere malo, nihil aliud hic additurus praeter temporis designationem, quo liber Vapovii confectus esse videtur.

In ultima opusculi parte narrat auctor Sigismundum Regem nonnullos principes Lituanos, qui prodicionis una cum Michaeli Gliński rei fuerint, «adhuc» in carcere detinere. Deinde Rege Petricoviam ad comitia generalia Poloniae reverso, delectum militum contra Tartaros et contra Ordinem Beatae Mariae Virginis Teutonicorum decretum esse narrat additque: «tantarum rerum eventum et huius invicti Regis praeclara facinora exspectamus». Ex quo luculenter apparet Vapovium libro suo finem imposuisse peractis iam quidem comitiis, nondum tamen dimissis captivis principibus Lituaniis, id est intra diem XII mensis Aprilis a. 1509 et diem X mensis Mai a. 1511 librum hunc perscriptum esse. Sed etiam his finibus temporis spatium nimis late circumscribitur; cum enim Vapovius nomen suum subscripserit hoc modo: «Bernardus Vapouicius de Radochonycze Canonicus Cracoviensis», dubium esse non potest, quin haec ante oblatam sibi «cantoriam» ecclesiae Cracoviensis exaraverit, quod beneficium d. XII

¹ In inventario codicum latinorum Fulvius Ursinus opusculo huic Vapovii numerum 277 adsignavit hancque indidit inscriptionem: »Bernardo Vapovisio Canonico Cracoviense de bello Voscomitarum [sic] contra Polonos«. Nolhac, La Bibliothèque de Fulvio Orsini, Paris 1887. pag. 379. In ipso vero codice Vaticano opusculum Vapovii inscriptione omnino caret.

² Nolhac, l. c. pag. 251—253.

³ Tiraboschi, Storia della letteratura italiana tom. VII, part. I, pag. 114.

⁴ Sadoleti Epistulas Familiares vol. I, epist. 108 ad a. 1529 laudat ibid. Tiraboschi.

⁵ In praefatione ad B. Vapovii Chronicon. Script. rer. polon. vol. II.

⁶ »Rozbiór podługoszowej części kroniki Bernarda Wapowskiego przez Stanisława Lukasa«. Cracoviae 1880. Rozpr. i Spraw. Akad. Umiej. wydz. filoz. hist. t. XII.

mensis Septembris a. 1509 eum obtinuisse ex Actis Actorum Capituli Cracoviensis (tomo II) constat. Certe enim Bernardus noster ampliorem illum titulum non omisisset. Quibus praemissis satis probatum esse censem descriptionem hanc belli contra Moscos gesti intra quinque menses, a d. XII mensis Aprilis usque ad d. XII mensis Septembris a. 1509 perfectam esse.

Quo denique pacto opusculum hoc Vapovii in manus devenerit Angeli Colocci, id nobis eruere non contigit. Hoc tantum conici potest: Vapovium, cum aa. 1511—1515 (?) Romae degeret, Angelo Colocci innotuisse, fortasse etiam inter amicos clari illius Itali fuisse receptum, eique chirographum hoc exemplar dono dedisse.

Orthographiam libelli barbaris mendis conspersam ad regulas antiqui sermonis revocare non dubitavimus.

I. N. R. I.

Scripturus de bello, quod gestum est inter Sigismundum, Poloniae regem et Basilium, magnum ducem Moscoviae, operae pretium est, arbitror, quibus initiis Moscovii ad tantam magnitudinem pervenerint, terminosque provinciarum, intra quos res gesta est, describere, cupiens etiam partes septemtrionales, quae ad haec usque tempora Latinis scriptoribus fuerunt incognitae, illustrare. Moscovia ad aras Alexandri Magni¹ et fontes Tanais², qui Europam ab Asia disterminant, brevibus terminis olim continebatur, quae duce Iohanne³, homine prudentissimo simulque rei militaris peritissimo, in tantum aucta fuit, ut omnibus circumvicinis populis terrori esset. Hic dux fortissimus, hyperboreis populis subactis, imperium suum ad extremum septemtrionem latissime propagavit. Ad orientem conversus potentissimum Tartarorum imperatorem de Casan bello victum sibi tributarium fecit; alios Schytas ad Rha⁴ fluvium, maiorem Tanai, incolentes, qui provincias eius latrociniis infestabant, maximis cladibus affecit; cum Levoniiis⁵, qui ab occidente sibi adhaerent, bella acerrima gessit; postremo his ac tantis devictarum gentium et nationum copiis auctus, ad Russiam Lituaniamque, quae sibi est a meridie, conversus, magnam illius partem

¹ Oppidum et terram Smoleńsk sic Vapovius appellare solet. cf. SS. rer. polon., II, pag. XIII.

² Hodie fluvius Don appellatus.

³ Ioannes III, Basilii III filius, magnus dux Moscoviae 1462—1505.

⁴ Rha fluvius, hodie Wolga.

⁵ Livones, provinciae Livoniae incolae.

et usque ad Boristenem¹ occupavit, dum Casimirus, Poloniae rex, cui tunc magnus ducatus Lituaniae iure hereditario suberat, procul in Polonia degeret et per praefectos dumtaxat bellum administraret. Quo factum est, ut Nogardiam, Novogrod² eorum lingua nuncupatam, ad oceanum Sarmaticum³ sitam, totius illius plagae opulentissimam plenamque mercatoribus civitatem, et quae olim Isidorum⁴ Cardinalem Sabinensem ab Eugenio pontifice creatum, praesulem habebat, Casimiro Regi eripuerit, quo tempore ducenta millia equitum levis armaturae in castris habuisse dicitur. Moscovii genere armorum et modo pugnandi in nullo a Parthis et Tartaris differunt; omnes fere sunt sagittarii ex equo, magna ex parte loricati, equos habent laboris inediaeque tolerantissimos, in quibus longinquas excursiones incredibili velocitate conficiunt; fides eorum est Christiana sequunturque ritum ecclesiae orientalis, ut omnes ferme Ruteni, sunt tamen scismatici et in multis a Graecis aberrant. Lingua eorum est semidalmatica, sicut Rutenis Litanisque conterminis populis. Nemoribus omnique genere ferarum abundant, zebelinos, mardures, et quas Plinius mures ponticas appellat, in copia venantur eorumque animalium pelles mercatoribus adeuntibus multo auro coemptas distribuunt.

Defuncto Cazimiro Alexander eius filius in magnum ducatum Lituaniae aliis fratribus hoc illi concedentibus, qui regnum Poloniae sortiti erant, succedit. Iohannes Moscovius, ut erat vaferimus homo, dolis agere coepit, si forte per proditorem Lituania potiri posset. Et cum multa frustra tentasset, ad extremum gnatam suam Helenam Alexandro in matrimonio tradit, quam ex Helena⁵, Andreae Paleogoli [!] despoti [!] sorore suscepit. Contracta inter hos principes affinitate aliquantulum pax erat mercatoribus hinc inde libere commeantibus. Interea Moscovius non cessabat corruptionibus agere per hos, qui cum filia sub velamine servitii adveniant, tantumque effecit, ut tres potentes duces, videlicet de Mosaysko, de Orsza et de Byela⁶, maximis muneribus et sollicitationibus adducti, oppidis et castellis traditis, ad ipsum transfugerent idque eo facilius, quia et contermini ipsi et scismatici erant, sicut omnes fere Ruteni. Postea aperto Marte, postposita affinitate, statuit rem aggredi sub specie iniuriae sibi illatae, quod filiam Helenam, quam ea condicione sibi tradidisset, et illos tres duces scismaticos, in contemptum ipsius ad oboedientiam Romanae

¹ Dniepr fluvius hodie vocatus.

² Nowogród Wielki. oppidum ad fluvium Wołchow et lac Ilmen situm.

³ Mare Balticum.

⁴ Errat Vapovius, nam Isidorus, cum metropolita totius Russiae et Kijoviensis archiepiscopus esset, Novogrodensis esse non potuit. Cf. Строевъ, Списки Иерарховъ, Спб. 1877, pag. 3, et Stadnicki, Bracia Władysława Jagiełły, Lwów 1867, pag. 137.

⁵ False, nam Ioannis III Basilidis uxor erat Zoë, Thomae despotae Moreae filia, Andreae vero Palaeologi, qui 1502 Romae mortuus est, soror.

⁶ Chron. pag. 61—62: »de Mosaisko [Możajsk] primum, inde de Starodubo et Bielsko potentes duces...« cf. Strykowski, Kronika, ed. Daniłowicz II, 309.

Ecclesiae et ad reiterationem baptismi compellere voluisset. Ita quinquaginta millibus equitum dispositis, nam equis omnia bella conficiunt, ad depopu'andam Lituaniam misit. Alexander audito tanto belli apparatu socerique sui innata protervia, et ipse ducem Constantinum de Ostrow¹, alterum profecto Achillem, et Iohannem Litaur² aliosque praestantes campiductores ad impediendam terrarum vastationem cum septem millibus equitum obviam misit; brevis temporis maiorem colligere exercitum non patiebatur. Constantinus multos ipsorum speculatores proeliis saepe commissis intercept; finaliter in exercitum quindecim millium Moscoviorum, qui maiorem exercitum anteibant, incidit, cum quibus Constantinus, etsi in duplo plures erant, manus conserere non dubitavit³. Quibus fortissime, virtute suorum militum, fuis atque fugatis, multis trucidatis, dum avidius victos insequuntur, in insidias maioris exercitus ignari deferuntur. Ita victores Lituani denuo vincuntur atque fugantur. Multi fortissime pugnando occumbunt. Constantinus (proh dolor!) et Litaur alique duces acriter resistendo, nec terga flectendo, nec tam victi, quam vincendo fatigati, capiuntur atque in captivitatem abducuntur.

Alexander restauratis viribus, copiis magnis collectis Polonorumque auxiliis mercede conductis, varia fortuna cum hoste per aliquot annos bellum gessit. Tandem mutuis atque continuis cladibus utrisque defatigati, pacem perpetuam inter se de novo firmavere⁴. Moscovius eo libentius, quia Alexandrum, generum suum, in Regem Poloniae per obitum Ioannis Alberti fratris electum esse audiebat futuramque eius potentiam reformidabat; Alexander ex altera parte non tutum existimabat, nisi confecta pace, Lituaniam relinquere atque in Poloniam per tot terrarum tractus, diadematis suscipiendi causa, se transferre et quia cum Turcis, Tartaris ac Valachis, qui eo tempore confinia Poloniae infestabant, sibi bellum gerendum esse augurabatur. Alexander itaque, rebus Lituaniae compositis, ac Regno Poloniae inquieto suscepto, cum Turcis ac Valachis composuit, cum Tartaris internecivum bellum gessit, qui Russiam ac Podoliam quotannis excursionibus infestabant. Postremo, dum aliquot annis regnasset, prole nulla suscepta, duodecim millibus Tartarorum sub Cieczo⁵, castro Lituaniae, prostratis, quartodecimo post victoriam die summa cum laude obiit⁶. Mirum est ex tanta hominum multitudine vix quingentos equites Tartarorum cum duobus filiis Caesaris Precopensis⁷, qui Tauricam Chersonesum

¹ Constantinus, dux in Ostrog, saepenumero apud auctores latinos et italicos dux de Ostrow appellatur.

² Iwaszko (Ioannes) Litawor Chreptowicz, guber. Novogrod. cf. Boniecki Poczet rodów p. 27.

³ Proelium ad fluvium Wiedrosza, 1500 Iul. 14 commissum.

⁴ Anno 1501.

⁵ Anno 1506 Aug. 6. — Chron. 67. Vapovius decem millia Tartarorum ad Klecko pugnasse dicit.

⁶ Aug. 19. — Chron. 68: »quintodecimo a profligatis hostibus die vita decessit«.

⁷ Mendli-gerej. — Chron. 68: »perpauci ex tanto exercitu evasere«.

incolit, ex proelio profugisse; reliquis aut caesis, aut captis, aut paludibus demersis; diuque maiorem cladem Tartari sunt passi.

Iohannes, magnus dux Moscoviorum, propagato imperio, maximis rebus gestis, florentissimo filiis dominio relicto, eodem et ipse anno diem vitae clausit extremum¹. Basilius huic ex quinque² primogenitus consensu principum succedit; Alexandro vero in regno Poloniae et magno ducatu Lituaniae frater iunior Sigismundus. Ita utrumque dominium mutationem principum eodem fere tempore fecerat. Basilius summa rerum suscepta, Constantinum ducem de Ostrow, quem captum dixeram, propter insignem eius virtutem disciplinaeque militaris peritiam ex vinculis liberat, multarum terrarum gubernationem sibi committit, ut ipsum maximis beneficiis devincire fidelemque contra quoscunque hostes, etiam contra patriam, facere posset. Itaque exercitui octuaginta millium bellatorum ipsum praeficit et contra orientales Tartaros trans Tanaim mittit, quos ipse tanquam fulmen, multis proeliis feliciter factis, protrivit atque interemit, ex quo maximam apud illas gentes laudem sibi vindicabat Constantinique nomen ubique personabat. Basilius, credens ipsum patriae suae iam esse oblitum, cum eodem exercitu ad depopulandam Lituaniam mittit. Litvani collecto exercitu, infestis signis, obviam procedunt. Constantinus, qui charissimam patriam habebat exsiliumque³ etiam honoratum abhorreret, et qui tanquam Ithacensis Ulixes nil aliud optabat, nisi aliquem fumum de patria posse videre sua, postquam adventare exercitum Lituatorum audivit, iubet universum subsistere atque speculatum cum trecentis equitibus ad proximos colles se velle ire pronuntiat. Cuncti dicto eius audientes fuere. Constantinus ubi conspectui suorum se eripuisset civesque suos conspexisset, prae laetitia illacrimans, paucis, qui cum eo erant, allocutus, qui vellent se sequerentur, omnibus persuasis, laxatis habenis ad exercitum Lituatorum cum summa alacritate post septennale exsilium pervenit³. Ingens in exercitu laetitia, ingens congratulatio. Moscovii ubi diu reditum ipsius exspectassent, suspicantes id, quod evenerat, incensis aliquot castellis et villis retrocesserunt; nam Constantinus Lituaniis persuaserat, ne hostes cum in quadruplo plures essent, exspectarent. Ita et se ab indigno exsilio et cives ab infortunio liberavit. Magna in tota Lituania exsultatio; quo duce omnes hostes contemnere, in hunc unum equos, vestes, pecuniam, grandia dona omnesque humanos honores conferre. Itidem facit Sigismundus, qui ultra alia regalia munera provinciarum gubernationem ad inferiorem partem Borysthenis, quae maxime loca Tartari infestabant, committit. Rex in initio principatus sui, victore exercitu in Lituania suscepto, qui adhuc ex recenti Tartarorum caede praeda onustus exsultabat, reditu Constantini exhilaratus,

¹ Anno 1505.

² Chron. 62, filiis Ioannis III nomina data sunt.

³ Cf. Acta Tomiciana I, 18.

rebus Lituaniae compositis, Iohanne Sabrezynsky gubernatore relicto in Poloniam proficiscitur.

Dum Sigismundus Rex rebus Polonicis esset occupatus oratoresque vicinorum Regum et petita audiret, hoc maxime curabat, ut cum omnibus pacificaretur et regnum continuis bellis exhaustum reficeret, cum Turcis et Caesare Tartarorum, qui Tauricam Chersonessum inhabitat et qui paulo ante illam funestam cladem passus erat, foedus percutit magnis eidem muneribus transmissis, ut ipsum in fide contineret. Ad Basilium, magnum ducem Moscoviae, oratores mittit, ut provincias et castra, quae domini erant Lituani et praedecessoribus suis per tyrannidem fuissent erepta, amicabiliter restitueret, alias pararet se ad bellum. Basilus vero satagere, moliri, seminare discordias, corrumpere omnia in Lituania per exploratores et secretos nuntios non cessabat tantumque effecit, ut odium et inimicitias capitales, quae erant inter gubernatorem regium et ducem Michaellem Glynsky¹, tunc magis ac magis accenderet.

Erat hic Michael Alexandro Regi charissimus omniaque arbitratu illius administrabantur, cum propter ingenii acumen morumque elegantiam, tum propter rei militaris peritiam; Sigismundo vero invisus propter suspicionem affectati domini Lituani, ut ex ducatu Slesie, quem rege Ungariae fratre permittente tenebat, cito accurrisset. Michael videns se neglegi, nec in ea esse auctoritate, qua apud fratrem Alexandrum exstiterat, videns etiam Iohannem Sabrzesynsky, inimicum suum, in gubernatione sibi praelatum esse, cum magno Basilio secreta inire consilia et Regi de eripienda Lituania cogitare coepit. Nec amplius cunctandum ratus ad oppidum Grodno, in quo erat gubernator², cum tribus millibus equitum noctu contendit, paucis sub aurora praemissis, qui sub specie amicitiae ingrederentur et portas occuparent. Postea equitatu totum oppidum complente, cubiculum gubernatoris ingressus, paucis, qui aderant, defensionem frustra tentantibus, ex lecto paene adhuc dormientem extractum miserabiliter obtruncavit, caput hastae praefixum ad ostentationem sceleris secum asportavit. Multos alios principes, qui conatibus ipsius obstabant, interficere destinaverat, ni fuga saluti consulissent. Postea, non quiescendum sibi ratus, ad Turow oppidum aperte cum amicis Rutenis, qui eum antea semper colebant, contra Regem conspirare, aliquos invitos cogere, castra regia vi, aliqua deditione occupare non cessabat. Iamque se magnum ducem Lituaniae et scribebat et appellabat, ut sub specie illustris appellationis dubitantes ad se alliceret, tantumque effecerat, ut iam duodecim millia equitum in castris haberet³. Cum his ad regium castrum Mosir, fortissimum et tormentis

¹ Cf. Acta Tomiciana I, 15—17.

² Hoc est, in quo Ioannes Zabrzeziński gubernator erat.

³ Cf. Chron. 77. — Acta Tomiciana I, 22. Decius, de Sigism. Regis temporibus, pag. LXIII, et Stanislaus Górski, Acta Tomiciana I, 22, »Thurcam ministrum caedis« fuisse, Strykowski II, 346 Germanum quendam, Schleinitz nomine, Ioannem Zabrzeziński occidisse dicunt.

aeneis bene munitum, contendit, quo per prodicionem occupato, in eo totam spem collocabat thesaurosque suos illuc comportavit.

Moscovita ex altera parte sub spe et ipse occupandae, aut saltem cum eodem Michaeli partiendae Lituaniae, centum viginti millia equitum bellatorum in auxilium Michaeli miserat, quibus copiis instructus, nec totum mundum sibi posse obstare credebat. Cum his ad Mynsko castrum regium profectus, caedibus, rapinis et incendiis omnia complebat.

Sigismundus Rex, audita rerum Lituanicarum turbatione et tantis tumultibus, quos rumor et frequentes nuntii in maius extollebant, tantis malis occurrendum ratus, cum sex millibus equitum Polonorum gravis armaturae totidemque levis, inter quos erant duo millia Rascianorum equitum, et octo millibus delectorum peditum, magna ex parte scupetariorum, mercede conductorum, ex Cracovia, regia Poloniae, in Lituaniam magnis itineribus contendit. Paucis diebus sexcenta millia passuum emensus, ad Novogrodek Lituaniae pervenit, ubi animos suorum subditorum vacillantibus invenit, quos hostis partim muneribus, partim pollicitationibus impleverat; alii terrore et potentia hostis adducti defectionem meditabantur. Sigismundus ad praesens dissimulandum ratus, collaudatis ipsis, quod se absente in fide perstitissent tyrannidemque hostis evitassent, animis eorum confirmatis, expeditionem bellicam nobilitati, qui sumptibus propriis regem ad bellum sequi tenentur, et civitatibus pecunias imperavit. Quadraginta millia equitum Lituatorum et Rutenorum levis armaturae, qui partim hastati, partim pharetrati ad bellum progrediuntur, regiis castris sese coniungunt. Rex Polonorum, Lituatorum Rutenorumque copiis instructus, contra hostem quanta potuit celeritate proficiscitur, qui ad Mynsko, oppidum regium, consederat, et illud die noctuque machinis et tormentis bellicis oppugnabat. Erant nonnulli ex consiliariis regiis, qui eum ab ulteriore profectioe deterrebant, potentiam hostis et periculum Regis in maius extollescentes. Ipse nec potentia hostis se terreri, nec passurum, ut alicui hanc vincendi inimici sui gloriam concedat, quem vel in intimis terrarum eius latebris quaerere statuisset. Accedebat huic sententiae regiae Iohannes Lasky, Regni cancellarius, excellentia ingenii, rerum experientia, animi magnitudine facile omnes aulicos exsuperans. Hic nihil egregii absente Rege posse fieri praedicabat, praesente eo invictum eius esse exercitum. Sic cunctis quod felix faustumque sit acclamantibus, omnes in hanc sententiam iere. Moscovii et Michael, audito Regis adventu, ad Orsam oppidum fluviumque eius cognominis, soluta Mynsky oppidi obsidione, retrocedunt, ubi Regem regiumque exercitum cum armis ad certandum paratis expectare decreverunt. Rex eorum vestigia secutus ad Orsam et ipse pervenit, contra spem et opinionem Moscoviorum, ex subdola persuasione Michaelis, qui Regem procul in Polonia aliis bellis occupatum nunquam ad hanc expeditionem venturum confidentius iactitabat. Iamque ipsum prodicionis insimulabant cum mendacii exprobratione. Ille ex adverso orare, precari, forti animo esse velint, Regem non publico Polonorum consilio hoc bellum ge-

rere paucosque stipendiarios secum adduxisse, Lituanorum Rutenorumque copias, etsi grandes, tamen imbelles et quos ipsi longo otio desides saepissime fudissent, quos etiam devictarum gentium gloria, belli gerendi experientia, ac denique numero virorum longe anteirent. His et aliis animos Moscoviorum labantes, ut erat eloquens, confirmabat. Nam postquam regia agmina, auratis purpureisque vexillis vibrantia, gravem armaturam lucentibus armis resplendere tantamque patentissimis campis multitudinem conspexerunt, sibi iam timere ac trepidare incipiebant. Multitudo carrorum, in quibus victualia ac tormenta aenea vehebantur, maiorem in duplo exercitum intuentibus ostendebat. Sigismundus Rex virtute suorum militum fretus, maxime illorum, quos ex Polonia secum adduxerat, in vultu spem victoriae prae se ferre, cum alacritate munia optimi imperatoris peragere conspiciebatur, tentoria sua carris in circulum cingens, ut tute et vesci et quiescere miles possit, et, si qua violentia hostium ingruisset, munitione carrorum pro vallo uteretur. In ipso tanta abstinencia, ut et delicatorem cibum abiceret et haustu aquae sitim levaret, quo facilius militem, conviviis et otio assuetum, ad inediam pro tempore victusque patientiam et ipse armatus ad laboris tolerantiam assuesceret. Constantinum ducem, fortissimum virum, cuius consilio maxime utebatur, Lituanis Rutenisque praeficit. Ipse inter Polonos stipendiarios versabatur, quos sibi fideiores et melius armatos roburque sui exercitus esse animadvertibat. Decrevit tandem proelium cum hoste, qui ad alteram ripam fluminis castra metatus erat, committere. Equitatum peditatumque delectum ex castris educit, aliis ad custodiam castrorum et impedimentorum relictis, sicque aciem ordinat, ut turmis equitum levis armaturae essent cohortes peditum intermixtae, quae frontem exercitus constituerent, defixis in terram ante se et connexis grandioribus scutis, quibus pedestres copiae impetum equitum sustinere et tutius sagittas et tormenta aenea in hostem conicere possent. In lateribus mille ducentos equites gravis armaturae constituit. Reliquum equitatum post hanc primam aciem ordinavit, qui laborantibus succurrere et in locum defessorum aut interemptorum succedere possent. Rex cum fortissimis et subsidiariis copiis extremum claudebat agmen, prospiciendo virtutem singulorum, ut, si qui cederent, illis accurreret, aut auxilia submitteret.

Moscovii ab altera parte aciem more suo instruunt, qui nullos pedites habebant, sed ex equitatu aciem constituebant. Ita utrique stabant animis ad pugnandum paratis. Ex acie regia quingenti equites ad certamen progressuntur, qui totidem vel plures Moscovios obviam procedentes interficiunt atque fugant. Ita commisso proelio, regiis fortissime pugnantibus et tormenta aenea cum ingenti sonitu incendentibus, mox in fugam hostes convertunt, quos equites levis armaturae insecuti, multos in fuga interficiunt. Quattuor millia carrorum et alia castrorum impedimenta cum opulenta praeda diripiunt. Rex, quia iam sub vesperum erat, timens, ne sui in insidias deferrentur, milites a persecutione revocavit. Moscovii et Michael ea nocte et sequenti die nonaginta millia passuum, Michael frustra clamitante

atque orante, ut fugam sisterent, continuata fuga conficiunt, ubi ad Mczyslaf¹, castrum regium, praeter quod necessario eis transeundum erat, bombardis aliisque missilibus tria millia duoque magni duces sunt interfecti.

Sigismundus rex rebus feliciter gestis, hostibus fuis fugatisque, in crastino castra movit et ad Smolensko, civitatem suam arcemque munitam, reliquas hostium carpendo, fluviumque Boristenem itinere quattuor dierum pervenit. Ea est civitas amplissima, habens praesulem Rutenum, scismaticum tamen; sunt ibi excelsa templa, pictura mosaica more Graecorum decorata, est et monasterium divi Basilii non procul a civitate, ubi ducenti continue monachi commorantur. Circa hoc monasterium Rex castra vallo et fossa communire ibique hiemare statuit et hostem, quem iam exteritum videbat, continuis incursionibus et terrarum vastationibus defatigare. Militibus ex longo itinere fessis, nam a Cracovia, regia Poloniae, ad Smolensko mille millia passuum emensi erant, corpora curantibus, ubi aliquantisper quieverunt, crebras incursiones, ferro et igne omnia vastantes, in terram hostilem faciebant; multis oppidis, castellis et villis incensis ac direptis, multa millia hominum captivorum, multa armenta et greges ad victum exercitus adducebant, quo factum est, ut ad trecenta millia passuum ad longum et latum, rapinas incendiis et caedibus miscendo, libere in terra hostili popularentur.

Magnus Basilius videns Sigismundum Regem ubique prosperari, exercitum suum fusum fugatumque, milites suos exterritos, provincias vastari, multos ex suis ad regem victorem cottidie transfugere, fortissimum quemque in bello occidissee, sibi iam imperioque suo timere ac tantis malis permoveri cepit. Oratores supplices ad Regem transmittit, qui de pace pro arbitrio ipsius tractarent. Rex, audito oratorum adventu, ad ostentationem potentiae suae omnes in armis esse iubet. Ita omnia in castris fulgentibus armis relucebant, tubarum clangore, bombardarum sonitu omnia complente. Rex, auditis oratoribus, et ipse ad pacem animum adiecit, existimans gloriae suae satisfacisse, si hostem et victum et supplicem videret. Et quia Turcos et Tartaros Russiam et Podoliam, quibus aegre per praefectos resistebatur, invadere nuntiabatur, proponens etiam in animo superbiam magni magistri Prutenorum², fratris ducis Saxoniae, qui de more omagium, regibus Poloniae praestari solitum, facere recusabat, refrenare, oratoribus pro tempore benigne respondens, concordiam se facturum pollicitus est, si provincias, oppida et castella, quae prius essent Lituani, per tyrannidem praedecessoribus suis erepta, sibi restitueret, captivos omnes, quos haberet et mercatores, qui detenti erant, libere dmitteret, et ut Michaellem proditorem sibi traderet. Cum his condicionibus remisit oratores una cum suis, qui hoc ipsum postularent. Quibus redeuntibus provincias, oppida, castra, captivos, mercatores magnum Basilium restituere rettulerunt, Michael-

¹ Mścisław oppidum in hac parte Lituaniae situm, quae Russia Alba vocatur.

² Friderici ex ducibus Saxoniae.

lem tradere non posse, cum esset iniquum, hominem, qui fidei suae se credidisset, prodere, promittens, se Regi auxilio contra omnes hostes ultra petita futurum. Rex condicionibus acquiescens, pacem perpetuam uterque iure iurando firmavit¹.

Sigismundus Rex rebus feliciter gestis, militibus praeda onustis, provinciis, oppidis et castellis recuperatis illicque firmis praesidiis relictis, ex Smolensko quingentis millibus passuum confectis, ad Vilnam, regiam Lituaniae, cum triumpho rediit. Illic conventu Lituavorum celebrato militibus, qui egregiam operam in bello navaverant, regalia dona dedit. Multos principes Lituaniae, qui secretam intellegentiam cum Michaele proditore et magno Moscovio habebant, capitali supplicio affecit, aliquos equis distractit, nonnullos adhuc in carceribus detinet², quorum bona optime de se merentibus aut aerario attribuit. Rebus Lituanicis compositis in Poloniam ad conventum³ Polonorum celebrandum, sexcentis millibus passuum emensis, in Pyotrkoŭ pervenit, ubi decretus duplex delectus militum: in orientem contra Tartaros, qui Podoliam invasisse nuntiabantur, contra Teutones Prutenos alter, qui ex innata insolentia Regi praestare omagium recusabant. Ita Sigismundus duplici bello distractus: tantarum rerum eventum et huius invicti Regis praecclara facinora exspectamus.

Bernardus Vapouicius de Rado-
Canonicus Cracouiensis chonycze.

¹ Cf. Acta Tomiciana I, pag. 31. »Ad eius [anni 1509] initium legati ducis Moscorum XII Ianuarii Vilnam ad regem venerunt...«

² Acta Tomiciana I, pag. 31. »In crastino adventus istorum oratorum Vilnam, conscii coniurationis Michaelis Glinski iussu Regis captivati sunt...« Sequuntur eorum nomina... »Qui anno demum MDXI, X Mai liberi ex vinculis dimissi fuere«.

³ Acta Tomiciana ibid. »In eo conventu ad diem XII Aprilis telonea in tota Polonia et ditionibus eius instituta sunt«. De conatibus Sigismundi Regis contra Cruciferos vide Voigt, Geschichte Preussens, IX, 367—369.



5257036